


Johann Friedrich Schomer

**Mulier Loquens In Ecclesia Programma Quo Ad IV Orationes Solennes A Totidem
Lycei Wismariensis Alumnis A. D. V. Calend: Septembr. A. R. S. M DCC XXXII ...
Observeranter Invitat**

Wismariæ: Typis Zanderianis, [1732]

<https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1836317301>

Druck Freier  Zugang



Stadtschule zu Wismar.

Programme. 1731. 1732.

Mkl h

2020
(1731)

1896. E

ZfB ME
05. Aug. 1999

entsäuert

Mull. h.
2020
(1731)



1732

Q. D. B. V.

2.

MULIER LOQUENS
IN ECCLESIA
PROGRAMMA

QUO

AD IV ORATIONES SOLENNES

A

TOTIDEM LYCEI WISMARIENSIS
ALUMNIS

A. D. V. CALEND: SEPTEMBR. A. R. S.

M DCC XXXII

EX LEGATO B. VIDUÆ SCHMIDIÆ

HABENDAS

MÆCENATES PATRONOS
FAUTORES ET LITERARUM

AMANTES O. O. H.

OBSERVANTER INVITAT

M. JO: FRID: SCHOMERUS

LYC: WISM: RECTOR.



WISMARIÆ,
TYPIS ZANDERIANIS.



ravissimum est Apostolorum coryphæi Gentiumque Doctoris Pauli præceptum in priori ad Corinthios Epistola Cap: XIV. v. 34. 35. *Mulieres vestrae in Ecclesiis tacent: non enim concessum illis est loqui sed subjici; sicut etiam Lex dicit. Si vero quid discere voluerint domi proprios maritos interroganto; turpe est enim mulieribus in Ecclesia loqui.* Quo ipso omni, tam publice docendi, quam suæ ipsarummet emendationis gratia, in publico Ecclesiæ cœtu sciscitandi, facultate, mulieribus interdici videtur Apostolus.

Seriam hanc esse Spiritus sancti, cujus impulsu hæc scripsit Apostolus, sententiam, vel ex eo fati apparet, quod ejus se observantissimum fuisse, alibi locorum, & quidem data ad Timotheum Epistola priore, (a) divinus Vir ille liquido declarat, *Mulier, scribens, in quiete discat cum omni subjectione. Mulieri vero docere non permitto.*

Ad mentem Apostoli verbis sat perspicuis propositam, eo plenius perspicendam, verumque præcepti hujus sensum eruendum, duplex se mihi, non parvi momenti, offerre videtur quæstio. Altera, quid per Ecclesiam intelligat Apostolus, altera, quale sit quod mulieribus imperet silentium.

Notum siquidem perspectumque est, Ecclesiæ vocabulum, origine, si etymon spectes, Græcum, nihil aliud quam cœtum convocatum, concionem, congregationem & conventum denotare, sin loquendi usum, variam significationem admittere, modo enim quamcunque hominum congregationem denotat; modo quæ publica auctoritate & jussu Magistratus facta est, concionem designat, quæ inde legitima dicitur Ecclesia *Act: XIX. 39;* modo confluum civium, sponte sua, & sine auctoritate
Mag^o

Magistratus, convenientium, quæ ob id confusa appellatur Ecclesia, *Act. XIX. 32.* qua plures qui confluxerunt, nesciunt cuius causa confluxerint, quibus etiam ob id verendum, ne seditionis accusentur, secundum *vers. ult.*

Ad vocis Ecclesiæ acceptionem, sacris literis earumque interpretibus familiarem, attendere si velimus, significationes occurrent numero non minores. Modo enim hoc ipso denotatur coetus omnium eorum, qui quomodocunque a Christo & ejus Discipulis traditam profitentur religionem, & ab Idolorum cultoribus, Mahumedanis & Iudæis se distinguunt. Modo numerus eorum, qui ut viua, mystici corporis Christi membra vera & saluifica fide, servatori suo adherent, modo præsidentes illis Presbyteri, Pastores & verbi divini Ministri, idque per Synecdochen *Matth. XVIII. 17. 18.* aut etiam solæ, illorum curæ commissæ, oves & auditores, hoc nomine veniunt, ut *Act. XX. 28.* Modo per Metonymiam locus indigitatur, in quo coetus hicce sacrior, ad audiendum verbum diuinum & sacramentorum usum conuenit. Quo referendus locus *1 Cor. XI. 18. coll: 20.* id quod prolixius demonstrant GERHARDUS (b) CHAMIERUS (c) RAVANELLUS (d) aliique plures.

Quoniam vero de communi interpretum sententia, vocabulum Ecclesiæ in citato *1 Cor. XIV. capite*, cœtum seu conventum hominum, ad colendum Deum, prædicatum nimirum Dei verbum percipiendum, juxta & sacramentis a Christo institutis utendum convenientium, denotat, & hæc acceptio in quamplurimis novi fœderis locis obtinet. Huc redibit Apostoli sensus: In tali cœtu, Doctoris, verbi divini præconis, aut Ministri officium publice obire, vel tali munere fungentes, quæstionibus exercere, aut movendis dubiis interpellare, sequiori sexui nullo prorsus modo concedendum, cui interpretationi favere videtur, locus posterior *1. Timoth. II. Mulieri docere non permitto.*

Rationes hujus præcepti communiter afferunt sequentes: quia contra ordinem naturæ est ac legis *Gen. III. 16.* ut in conspectu virorum publico, fœminæ iis subjectæ, loquantur; quia mulie-

mulierum verecundiæ & humilitati contrarium; quia Vir melioris ut plurimum iudicii, rationis & discursus quam fœmina; muliebri genus contra lubricum, erroneum atque humili intellectu præditum, secundum EPIPHANIUM; (e) quia frenum injiciendum fœmineæ loquacitati, quæ in hoc sexu fere nimia, ex mente CHRYSOSTOMI (f).

Ad silentium mulieribus imperatum quod attinet, solet illud in scholis distingui, in omnimodum seu absolute, & limitatum seu secundum quid tale. Apostolum mulieribus sacro in loco congregatis, omnimodum & absolute tale silentium præscribere, fidem vix invenit. Quid enim impedit, quo minus fœminas, hymnis & cantionibus sacris, Deum in templo laudare, ac tali modo loqui posse concedamus. Quin si iste mos, qui in Anglicana obtinet Ecclesia, ut Minister Ecclesiæ & congregatus populus, alternis vicibus, singulos Psalmorum Davidis versiculos, clara voce prælegant recitentque, in prima & Apostolica viguit Ecclesia, id quod Angli vehementer contendunt, mulieres in publico fidelium cœtu locutas esse largiamur oportet. Taceo, Hannam in templo præsentibus de Servatore nostro Iesu Christo locutam Luc. II. nostris quoque in cœtibus fœminis canendo loqui, omni tempore fuisse permissum.

Proinde a vero non aberrabimus contententes, de limitato mulierum silentio in cœtu publico, ad Dei cultum & Sacramentorum usum convocato, intelligendum esse Apostoli dictum, de cetero mulierem in Ecclesia loquentem introducere nefas non esse putandum. Huic asserto nostro ut fidem faciamus, provocamus ad auctoritatem SUIDÆ, STEPHANI, SCAPULÆ aliorumque qui, in conscribendis Lexicis Græcis operam suam collocarunt. Quippe qui manibus quod ajunt pedibusque, in eam descendunt sententiam, Ecclesiæ vocabulum Græcis quemcunque denotasse cœtum, originem vero ejus ab Atheniensibus repetendum, quibus hoc nomine ille designabatur civium cœtus, qui per præconem, ad audiendum Senatus sententiam, e reliqua turba evocabatur. Erat vero ille duplicis generis alter, *ροπισκος* i. e. fixus statusque cœtus, qui ter congregabatur

batur spatio unius mensis; alter *σύγκλητος* qui urgente aliqua necessitate repente evocabatur.

In tali coetu, mulieres interdum, maximo cum applausu omnium, verba fecisse, tam notum est quam quod notissimum. Quem fugit factum MIRIAM, Pharaone fluctibus obrato, divinas laudes, in maxime celebri concione, ac in frequentissima quæ unquam collecta fuit, aut colligetur panegyri, canentis et sic in Ecclesia loquentis? *Exod. XV, 21.* quem praterit epinicium DEBORÆ? quod *Jud. V.* relatum legimus. Taceo mulierem THECOENSEM 2 *Sam. XIV.* et ABELENSEM 2 *Sam. XX, 16.* seq.

E. profanis Gentium Scriptoribus, unicum excitabimus te- stem, VALERIUM MAXIMUM (g) Meminit is AMÆSIÆSEN- TIÆ quæ *Rea, causam suam L. TITIO Prætoris judicium cogente, maximo populi concursu egit, partesque omnes ac numeros defensionis non solum diligenter sed etiam fortiter executæ, prima actione cunctis pene sententiis liberata est.* Nec multo post, HORTENSIA, scribit, Q. HORTENSII filia, cum ordo Matronarum gravi tributo a Triumviris esset oneratus, nec quisquam Virorum patrocinium eis accommo- dare auderet, causam foeminarum apud Triumviros et con- stanter et feliciter egit. *Repræsentata enim Patris facundia, impetravit, ut major pars imperatæ pecuniæ his remitte- retur.* Jungam his ex mediæ ævi historia JOHANNAM ULRICI III. Comitissæ Ferretani filiam, et ALBERTI II SAPI- ENTIS Archiducis Austriae uxorem, quæ anno MCCCXXIV. cum Patre Avenionem profecta, latinam habuit ad summum Pontificem Orationem, eoque ipso, ut Principes foemellæ in feudo Comitatus hujus succedant, obtinuit. (h)

Nec nostris temporibus deesse mulieres, quæ in publico eruditorum coetu differere, quin in arenam disputatoriam descendere ausæ sint, fidem faciunt relationes publicæ, quibus certiores facti sumus, Bononiæ, hoc ipso anno, LAURAM MARIAM BASSI novendecim annos natam, præsentibus Le- gato R. P. purpurato, Archiepiscopo, Senatoribus Urbis quam

plurimis, et Nobilibus, thesin philosophicam trium horarum spatio, contra omnes allatas dubitandi rationes, mascule defendisse, eaqve eruditionis minime vulgaris documenta dedisse, ut digna iudicata fuerit, quæ ab Academia Doctoris ornaretur titulo. (i)

Nullus igitur nobis, ut spero, vitio vertet, quod in convocato Doctissimorum Virorum cœtu mulierem producamus loquentem, præsertim cum ejus loco juvenes dicturi sint, qui tamen actus Mulieri jure meritoqve tribuendus, secundum triam Jctorum regulam : quod quis per alium facit ipse fecisse putandus.

Est vero illa B. CATHARINA ELISABETHA SCHMIDTEN nata HESSENIA quæ opibus aucta, Collegio nostro legatum reliquit, ea lege atqve conditione, ut singulis annis, duo juvenes, Primæ Classis Alumni, publicas haberent Orationes, alteram latina lingua vernacula alteram. Ex ejus itaqve ultima voluntate, crastina luce, cathedram conscendent Scholasticam, quatuor optimæ spei et indolis juvenes quorum

I. MARCUS ANTONIUS RUETZ, *Wismar. Megapol.*
aget: de *Fœminis literarum notitia et eruditionis laude conspicuis.*

II. MATHIAS LAURENTIUS HAFEMEISTER, *Kleina Megapol.* diseret. von der milden Güte des löblichen Frauen Zimmers gegen hohe und niedrige Schulen.

III. JOACHIMUS MATHIAS SCHULTZE, *Neostad Megap.*
in Exordio refutabit impiam quorundam vocem, *Mulieres non esse homines mox humanam mulierum excellentiam, ex cognitione literarum demonstrabit.* Tandem.

IV. JO: ALBRECHT SUSEMIHL, *Niokirch. Megapol.*
considerabit, *Die in der Zeit von denen Sterblichen gesuchte Unsterblichkeit.*

Hunc scopum perpetua famæ vitæqve perennioris, quem sibi olim præfixum habebat, et suis ipsius verbis, certissime sibi pollicebatur, HORATIUS (k) canens :

Nov

*Non omnis moriar: multaque pars meï
Virabit Libitinam: usque ego postera
Crescam laude recens, dum Capitolium
Scandet cum tacita virgine Pontifex.
Dicar, qva violens obstrepit Ausidus.*


B. Legatrici fuisse propositum, affirmare non ausim; attamen obtinuit, ut ejus vigeat memoria, quam diu stabit Wismaria, et in hac urbe sub Patrocinio PRÆ-NOBILISSIMI et AMPLISSIMI SENATUS, PATRONI nostri magnificentissimi, florebit Lyceum nostrum (: quod ut fiat diutissime, et ad seculi finem, faxit supremus humanarum rerum Arbiter Deus:) tam diu etiam illius nomine scandent pulpita juvenes optimi.

Hi nunc, quorum supra mentio facta est, juvenes, me interprete, demisse quarunt, ut omnes literis faventes, ea qua fieri fas est observantia a me evocati, in Ecclesiam confluere, crastina luce paulo ante horam IX. matutinam in loco consueto adesse, et benevolas aures dicentibus præbere velint. Adeste igitur rogo, DOMINI, MOECENATES, PATRONI, FAUTORES, Literarumque amantes O. O. H. Et si non juvenibus, aut formosiori sexui, certe literis hanc date gratiam, ut frequentes conveniatis, et gratissima præsentia vestra actum nostrum reddatis illustriorem.

-
- (a) 1 Timoth. II. 12.
(b) Jo. Gerhardus in L. L. Theol. loco de Ecclesia p. m. 560. seq.
(c) Dan. Chamieri Panstrat. Cathol. Tom. V. lib. I. Cap. I. p. m. 54. seq.
(d) Petr. Ravanelli Biblioth. Sacra p. m. 835.
(e) Hæresi LXXIX.
(f) Chrysoptom. Homil. 9. in Epist ad Timoth. Conf. sis Jo. Lud. Hartmanni Pastorale Evang. Lib. I. Cap. VI. § III. p. m. 87.

(g] Va-

- (g) Valer. Max. de Dict et fact. memorab. Lib. VIII.
Cap. IV. p. m. 353.
(h) Jo. Hübner. Histor. P. V. p. m. 74.
(i) Stats und gelehrte Zeitung des Hamb. Corresp.
1732. N. 79.
(k) Q. Horat. Flac. Carm. Lib. III. Od. XXX. p. m. 187.



LBMV Schwerin 33



33\$000818887



Landesbibliothek
Mecklenburg-Vorpommern
Günther Uecker

[https://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1836317301/phys_0011](https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1836317301/phys_0011)





patio unius mensis; alter σύγκλησις qui urgente aliqua

evocabatur.

mulieres interdum, maximo cum applausu
tise, tam notum est quam quod notissimum.
MIRIAM, Pharaone fluctibus obruto, di-
axime celebri concione, ac in frequentissima
sta fuit, aut colligetur panegyri, canentis et sic
is? *Exod. XV, 21.* quem praterit epinicum
d. V. relatum legitimus. Taceo mulierem
e. *Sam. XIV.* et ABELENSEM *2 Sam. XX,*

entium Scriptoribus, unicum excitabimus te-
MAXIMUM (g) Meminit is AMÆSIÆSEN-
usam suam L. TITIO Pratore iudicium
populi concursu egit, partesque omnes ac
is non solum diligenter sed etiam fortiter
etione cunctis pene sententiis liberata est.

HORTENSIA, scribit, Q. HORTENSII
ironarum gravi tributo a Triumviris esset
quam Virorum patrocinium eis accommo-
sam foeminarum apud Triumviros et con-
egit. Repræsented enim Patris facundia,
ior pars imperatatae pecuniae his remitte-

his ex medii aevi historia JOHANNAM
is Ferretani filiam, et ALBERTI II SAPI-
s Austriae uxorem, quae anno MCCCXXIV.
nem profecta, latinam habuit ad summum
nem, eoque ipso, ut Principes foemellae
s hujus succedant, obtinuit.(h)

temporibus deesse mulieres, quae in publico
differere, quin in arenam disputatoriam
t, fidem faciunt relationes publicae, quibus
is, Bononiae, hoc ipso anno, LAURAM
novendecim annos natam, praesentibus Le-
to, Archiepiscopo, Senatoribus Urbis quam

X 3

plu-




Image Engineering Scan Reference Chart TE83 Serial No.